



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

VI. Otkerus siue Otkarius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Antiquæ Lectionis Doct. Canisij. Cum ego à viro vene-  
rabili Domino Altino Episcopo, ad cuius diocesin locus ipse  
pertinet, rogarem, ut sepulchrum beati viri effodiendi, & in  
eodem pavimento aliquantò melius humandi, licentiam da-  
ret, concessit, ut rogavi. Facto q̄, ieiunio, cum his, qui tunc me-  
cum adesse poterant, cepimus fodere. Quod cum per actum  
est; leuauimus sarcophagi operculum, ex multis iam annis  
subtus terram positum, & tamen integrum. Et dum libentis-  
simè, quid intus incorrupti haberet, contemplaremur, tantus,  
& tam ineffabilis mirifici odoris fumus inde egressus est, ut  
totà Basilica suavissimè ex eo redoleret impleta. At nos nimis  
attoniti in parte, quæ steteramus, \* domus regia, ut fragiles  
procubuimus; resocillati verò ex odore fragranti, diuinam  
clementiam orantes, resumpsimus spiritum: & tunc demum  
propius accedentes, perspeximus non solum sancti viri ossa in-  
tegra, sed & ipsius beata gleba puluerem ita sibi met cohæren-  
tem, nimisq̄ viriditatis speciem tenentem, ut quasi non olim  
mortuus, sed semper viuus putaretur.

Eiusdem eleuationis meminit in suo syntagma-  
tio Anonymus. †

### VI. Otkerus siue Otkarius.

Post hos Otkerus succedebat vice sextus.

Idque anno salutis DCCC. LVIII. vixit in Episco-  
patu annos XXIII. vita functus II. Nonas, hoc est,  
VI. die Iulij anno DCCC. XXCI. Episcopus or Philippo  
anno DCCC. XXXC. sub hoc Episcopo translata est  
S. Walpurga Heidenheimio Eychstadium; de qua  
translatione Wolffardus Hasenrietanus lib. 1. de san-  
cta Walpurga. Paruo interiecto tempore, quo sacra Virginis  
civres in eodè loco tellus auara retinuit, contigit, decedenti-  
bus prioribus eiusdem Ecclesie pastoribus, Otkarium, venera-  
bilem

\* Basilica.

†

Profert Broxerus noster lib. 2. Antiquit. Fuldensium  
cap. 12. ueterem quandam inscriptionem ad Altinum pertinere,  
fem, qua est ista: Anno Domini Incarnationis DCCCXIX.  
Indictione XII. mense Ianuarij XVI. Kalend. Febr. dedicatum  
est hoc templum ab Altino Episcopo Eihstatiensis Ecclesia  
in honorem S. Saluatoris Domini videlicet nostri Iesu  
Christi, & S. OEB Genitricis MARIÆ, & S. Ioannis Baptista  
& S. Petri Apostoli, & caterorum Apostolorum Domini, &  
S. Bonifacij Martyris Christi & aliorum plurium Martyrum  
Confessorum, & S. Virginum. Hactenus inscriptio, quam refert Bro-  
xerus ad ipsum S. Sola domicilium. In numerum tamen irrepsit  
mendum; nam Anno Christi 819. Altinus, seu. Altuinus cathedram  
Willibaldinam necdum obtinuerat, quippe electus demum anno sa-  
lutis 841. forte rescribendum DCCCXLIX.

bilem virum, Eistettensem Cathedralam meruisse. Qui dum minus, quam deposceret honestatis ratio, idem monasterium, quo beata sanctimonialis ossa tegebantur, excoleret, quadam nocte, corporis quiete sopitum, dum tetræ ei tenebra silētium ministrarent, huiusmodi eum alloquio virginem compellasse narratur: Cur, inquit, Ockari, qui præsul dici & esse meruisti, domum Dei, in qua corporeo sopore quiesco, & sepulchrum, in quo carne seposita vltimum iudicij diem expecto, inhonestè hæcenus tractare voluisti? Nam seruorum huc coeuntium lutulentis pedibus quotidie calcor, & indecentibus vestigijs premor. Sciens igitur scito, quoniam aliquod iudicium pandā, quo non rectè te ergame, & domum Dei egisse comperias. Sed si reum te fore cognoueris, veniam merearis. Quod modico explicito tempore, rei probauit euentus: nam statim in proximo, dum erecti essent parietes eiusdem fabrica prominentes, & trabiam spatiosa compago sequenti die patentibus muris deberet apponi, subito facta iam noctis silētio, murus aquilonaris terratenus sese reuoluens, precipitium egit horrendum, terroremq; haud minimum tam domesticis cura familiaris, quam cunctis circumquaq; manentibus inauditum concussit.

Facto autem manè, cum ad huiusmodi spectaculum omnes pauidi conuenissent, custos, qui tunc ibidem Reinfridus inerat, calle directo, prælato præsuli, tremulis labijs nunciavit. Qui intelligens visionem, quam prius in somnis viderat, esse completam, cum suis illo usque tetendit, atque cum omnibus penè comprouincialibus Ecclesiam repoluit, quam etiam sacro Chrismate dedicauit. Dein cum in orbē transissent dies, memoratus Antistes Archipresbyteros \* Vultonem & Ada. \* Valthonem, lungum illuc sedulus destinauit, Ommonem quoque cum Sanctimoniali Liubila ex Monasterio \* Mouuenheim cum eis \* Monheim, abire precepit, ut sanctos cineres Virginis cum summa dili-

gentia eleuarent, ac cum hymnis, ac psalmorum concentibus ad Eichstatense cœnobium deportarent. Hi verò iussa felicia prospero itinere per complentes, resonantibus in cœlum campanarum melodiis, & concrepantibus undique canorum spiritualium\* eufoniis, pia viscera, rure, in quo hospitat a fuerat, flentes pro gaudio extulerunt, & ad iam dictum Monasterium deuexerunt. Quod factum est. XI. Kal. Octobr. hoc est, XXI. Septembr. Ita Wolffardus, qui addit, Heidenheimio simul allatas fuisse Reliquias S. Wunibaldi;

\* Eufoniis.

\* Aliis manu-  
script. Cod. IX.  
Kalend. Octobr.

sed tribus interiectis diebus nempe \* VIII. Kalend. Octobris, hoc est, XXIV. Septembris eò vnde abspontata fuerant, reportatas esse. Monasterium sanctæ Walpurgis sub Otkero Antistite inchoatum fuisse, tradit Catalogus Bruschanus. Quo loco antea, templum S. Crucis erat; quod, translatis eò S. Walpurgæ lipsanis, mutato nomine, ab ipsa S. Walpurgæ appellationem sumpsit.

Tradit idem Catalogus S. Walpurgam ab Otkero Episcopo coelitum numero adscriptam esse concessu & iussu Adriani II. Pontificis. Centuriatores Centur. IX. cap. 7. nasum corrugant, & Adriano, tanquam idololatræ, qui mortuos homines pro diis coluerit; diem dicunt. Sed nimis serò veniunt cum sua indignatione Centuriatores; qua id quod factum est, infectum nunquam reddent, nec pietatis opus in idololatricum piaculum transmūtabunt, licet omnes Orci copias suppetiatum aduocent.

Perrexit idē Otkerus cum exercitu in Boēmiam cum exul quidam iniuste pulsus in patriam & in Imperium restituendus esset. Nec prospera fortuna cœptis defuit. De quo Auentinus lib. 4. Annalium.

In libro Gundackari additur istud. Isti quinque  
Episco-

Episcopi Gerhoch, Aganus, Adalunc, Altune, Otker centum annos uiuendo (in Episcopatu scilicet) compleuerunt; non singuli, sed omnes simul.

## VII. Godeschalcus.

*Septimus Ecclesiam Godescalc procurat eandem.*

Sedit annos tres. Obiit anno Saluatoris DCCC. LXXXII. II. Idus Nouembris (ita habet Pontificale) hoc est, pridie Idus seu XII. Nouembris. Meminit eiusdem Epitomator Philippi.

## VIII. Erchanboldus seu Erchanboldus.

*Est Erchanboldus octauus in ordine magnus.*

Qui cathedram Episcopalem tenuit annos XXI. Ita enim tradit Pontificale, tamen alij Episcopatu eius pauciores annos assignant. Mortuus anno Domini DCCCC. II. XIII. Kalend. Octobris, hoc est, XIX. die Septembris. Est hic Erchanboldus ille, cuius iussu Wolfardus Hasenrietanus quatuor libris res gestas & miracula S. Walpurgis complexus est; ut patet ex præfatione Wolfardi, quam ad Erchéboldum operi suo præfixit, quemadmodum videre est Tom. I V. Antiq. Lect. Doct. Canisij. Ad eundem Præsulem est eiusdem Wolfardi proœmium in librum tertium.

Sub hoc Episcopo translata est pars Reliquiarum S. Walpurgæ Eychstadio ad Monasterium Monheimse cui Liubila, seu Lioba Abbatissa præerat; quæ ut aliquid de Reliquiis S. Walpurgæ nancisceretur enixissime petebat. Cui annuens Erchenboldus partem concessit, per quam postea Deus ea miracula patrauit, quæ soluta oratione Wolfardus & rhythmis Me-

d bar-